



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI

3648







42.

ORATIO  
IN NATALEM  
Christi Seruatoris nostri  
HABITA INGOLSTADII IN  
æde D. Virginis Mariæ coram celebri &  
frequenti Academiæ conuentu à  
M. Ioachimo Rodolpho.

*Accesserunt in commendationem tām Orationis,  
quām Oratoris doctorum aliquot virorum elogia.*

ISAIAE IX.

*Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis etc.*

Ingolstadij Alexander & Samuel Yueyl-  
senhornij excudebant.

Anno Domini M. D. LXV.



*P*endo ac Doctiss. viro D. Mariano Gerstmano  
*F V D* Cypodi et Canonicu Vuranilauensi  
Dominino suo plurimū obseruando. Autore

IN M. IOACHIMI RODOL-  
phi orationem de Natali Christi Viti  
Iacobæ Poëtæ Cæsarei, & Pro-  
fessoris Poëtices Ingol-  
stadij Epigram-  
ma.

**L**aetaccelebramus nati dñi tempora Christi,  
Quo DEV Sassumpto est corpore factus ho-  
Tu quoq; nascenti puerō solemnia defers C mo:  
Munera, facunda quem grauitate colis.

Quemq; redemptorem dignis Ioachime celebras  
Laudibus, ingenij pro pictate tui.

Dignum equidem tali priestas ætate laborem,  
Dignatus studijs & sacra uerba facis.  
His Mecenatum tibi demulcere fauorem,  
Et uotis poteris consuluisse tuis.

Macte animo merces etenim te digna manebit,  
Quam tandem merita non sine laude feres.

REVE.  
Mecenatus in partia comitorum, in  
mucosum Mecenatus in partia comitorum, in  
affigunt, non quoniam non reprehendunt, sed  
accusant.

REVERENDISS.  
PRÆSVLI, AC AMPLISSIMO  
Principi Domino, Domino Caspero à  
Logaw, Episcopo Viratissimuiensi, Sacrae  
Romanæ Cælareæ Maiestatis supremo  
per utramq; Silesiam Capitaneo etc. Prin-  
cipi, & Domino suo clementissimo,  
S. P. & fœlix inchoati noui  
anni auspicium precatur.



## VOTIES RECOR-

dor, Reuerendissime Præsul,  
ac amplissime Princeps (fa-  
cio autem hoc sepiissime) tue  
singularis clementie, & maxi-  
morum beneficiorum, quibus à

Reuerendiss. Cel. T. superiori anno, diu in aliquam diu  
certis de causis consensu Reuerendiss. ac Illustrissimi  
Archiepiscopi Salisburgensis, clementissimi studio-  
rum meorum Mecœnatis in patria commorarer, sim  
affctus, non possum non uehementer gaudere, me Re-  
uerendissime Cel. T. aliquantulum innotuisse, ac merito

A 2 . etiam

etiam gratulari communi patriæ nostræ, quæ præcæteris hanc foelicitatem à Deo Opt. Max. his turbulentis temporibus necessariam consecuta est, ut uiros in omni disciplinarum genere excellentes, longo rerum usu peritos, ac in ueræ Catholicæ religionis cultu pientissimos foueret, quales inter cæteros mihi occurrunt primo nunqus sine obseruantia memorandus Reuerendus, ac Doctissi. D. Ioannes Cyrus, Abbas S. Vincentij, Caesareæ Maiestatis Consiliarius, deinde D. Eustachius à Knobelstorff uir generis nobilitate præclarus, et eruditione præstantissimus, D. Sebastianus Schleupnerus theologus insignis, ac D. Martinus Gerstmannus Iureconsultus percelebris, Canonici Kuratsislauenses, uiri certè magno præconio digni, uel quos modo nominaui, uel nominando reliqui, quorum laudes celebrare huius non est instituti: inter quos Reuerendissima Cel. T. tanquam sydus quoddam fulgidum emicat, & commissum sibi ouile uigilanter regit. Gratulor igitur denuo cōmuni patriæ nostræ, quæ talem habeat reipub. gubernatorem. Rarum enim est, minusque forsitan quam rebus publicis expedit, usitatum, Principes ea studia attingere, quib. Reuerendiss. Cel. T. mirifice per politâ prædicant oēs. Nām ut de me saltem aliquod adferam exemplum, cum nulla fere uideretur spes melioris fortunæ, qua inceptis studiorum meorum rationibus succurrere

currere possem, hinc subito eximia benignitas Reuerendissime Cel. T. effulgit, que sola pristinum illum amore erga ingenuas artes non solum fouit, sed adauxit etiam plurimum, animumq; mihi addidit, et calcar non mediocre, ut statuerim honestissima mea studia, non solum non deserere unquam, sed ardeutissimis etiam uotis, summaq; diligentia, ac fide, ut coeperam, prosequiri, adeo, ut bene tunc mecum agi sim iudicaturus, si uitam in studijs finiero. Fuit itaq; e patria eo potissimum consilio euocatus, ut Italiam peterem, & eius gentis, quae S. Imperio nomen dedit, mores, linguam, ac terras cognoscere, uerum nescio quo fato impeditus hactenus in hac celebri Accademia Ingolstadiensi substigi, in qua ut meorum studiorum specimen aliquod darem, hanc Orationem hic in Basilica B. Marie uirginis a me in maximorum uirorum confessu amplissimo, & studiosorum frequentissima corona habitam, cum ab huius Accademiae proceribus sit approbata, & multi insliterint ut ederetur, sub nomine & patrocinio Reuerendiss. Cel. T. edendam curauit, non ut doctrinam meam, uel erudititionem (quam certe nullam, uel exiguum in me esse contperio) ostentem, sed ut animi mei erga Reuerendiss. Cel. T. testari possem propensionem, & gratitudinem, Mola quippe lita falsa, qui thus non habent. Tanta autem magnitudo meritorum est, quibus a Reuerendiss.

Cel. T. affectus sum, ut nulla gratiarum actione, uel  
minimam eorum partem me assequi, & aequare posse ui-  
deam, ne tamen prorsus nullas gratias agam, pro singu-  
lari patrocinio, & voluntate egregia erga me tantas  
nunc ago, quantas uel debet is, qui se summis maximisq[ue]  
beneficijs a tam Illustri, & multis dotibus clarissimo  
Præfule præter omne suum meritum affectus, atq[ue] cu-  
mulatus esse libenter agnoscit, & magna etiam cum uer-  
suptate, et laude apud exterios predicit, ac profitetur.  
Porro quam de me spem, atq[ue] expectationem iam pri-  
dem concepit, seu potius conceptam alit atq[ue] fouet,  
eane Reuerendissimam Cel. T. fallat, prout debeo,  
enitar. Non dubito etiam Cel. T. Reuerendissimam  
pro sua auctoritate daturam operam, ut clementer, &  
benigne adiutus illius beneficijs, quibus nec meritus  
nec tale expectans a Reuerendissima Celsitud. T.  
sum ornatus, ea postbac etiam securè sentire, ac gra-  
tiosè citra aliorum inuidiam excipere possim, studijs  
mea tali benevolentie ac liberalitatis genere a Re-  
uerendissima Celsitud. T. affecta, atq[ue] ornata ad fi-  
hem aliquando tum mihi utilem, tum patriæ cogni-  
tissimam gratum deducere queam. Ego qui  
dembonestissimos, atq[ue] pulcherrimos conatus meos in  
literis, qui profecta non aliam ob causam, quam ut  
videtur

Dei

Dei gloria aliquando per me in Ecclesia propagari possit, suscipiuntur, non postremam adeo, ut dixi, spem post Deum Opt: Max: in Reuerendissima Celsitud. T: repositam, atq: collatam habeo, nec est quoq: alius, quem quidem ego sciam, sub cuius praesidio quorundam maleuolorum, atq: iniquorum iniurias euadere, & ulcisci licet. Ad extreum uehementer etiam atq: etiam oro, ut chartaceum hoc munusculum, leuidense illud sane, sed ab animo Reuerendissime Celsitudini T: deditissimo profectum, non grauare a me accipiat, sed ea benevolentia, qua olim Xerxes Persarum Rex pauxillum aque a colono subdito suo oblate. Illud enim si Reuerendissime Celsitud. T: non prorsus displicere, & ingratum sensero, curabo ut (Deo dante) olim his maiora, & Reuerendissime Celsitud. T: nomine digniora in lucem proferre possim, modo interim Reuerendissima Celsitud. T: me in fide, defensione, tutela, ac patrocino, in quod me nibil huiusmodi prins meritum, recepit, perpetuo retinere non dedignetur, meq: ab ini-  
quoru telis, & insidijs tutum no illibenter praefet: quod quidem quo pacto fieri debeat Celsi T: Reuerendissima prudentiae iudicandum relinqu. Zoilos autem nostros ex imperitia, iniquitate, mendacio rotos compositos,  
quibus

quibus ut uerè comicus ait, nil rectum uidetur, nisi quod  
ipſi faciunt, quiq; ut in salutari doctrina legitur,  
Τὸ καρφόθ’ Τὸ ἐμ̄ Ἱψὶ ὁφθαλμῷ ἀδελφοῦ σοῦ βλέπουσι, Τίριδες δοκόμ  
τὴν ἐμ̄ τῶιδιώι ὁφθαλμῶν κατενοῦσι, si nos laceſſere iniurijs  
non desitant, suis aliquando coloribus, quoad per æqui-  
tatem licebit, pulchre depingemus, præsertim quod eos  
non pudeat coram in os Iudee osculum usurpare, clam  
uero in circulis suorum ueneno conuiciorum perfidioſe  
aspergere, more illorum, qui, ut uetus est adagium, al-  
tera manu caput scabunt, altera manu malam feriunt.  
Deus pater cœlestis Reuerendiss. Cel. T. afflictis  
rebus Ecclesiæ, & Reipub. Christianæ per quam diu-  
tiſſimè, & foelicissimè ſuperftitem conſeruet. Datum  
Ingolſtadij A nno Christi M. D. LXV. ſede-  
cimo Calend. Febr. quo die C. Cæſar Octavius à Se-  
natū, & populo Romano Imperator AVGV-  
STVS appellatus eſt.

Reuerendiss. Cel. T.

ſubditissimus

clientulus

M. Ioachimus Rodolphus.

GEOR.

# GEORGIVS

THEANDER SS. THEOLOGIÆ Doctor, Academiæ Ingolstadiensis  
Procancellarius, & ordinarius Professor præstanti  
eruditione, ac summis animi dotibus prædicto

D. Joachimo Rodolpho bonarum artium

Magistro, & sacrarum literarum  
studioso, S. D.



## OLENT REGES, ET

Principes liberorum suorum natæ  
licia regalibus conuiuijs, ludis Cir-  
censibus, spectaculis publicis, gym-  
nicis certaminibus celebrare, tonis  
truis etiæm, quæ Bombardis cœnt, gaudium suum  
publicè testantes. Quid autem nobis Christianis hoc  
sacratiſſimi partus tempore faciendum est, doctiſſi-  
me Ioachime & qui natalem agimus non terreni ali-  
cuus hominis, sed summi, & æterni Dei, simul & uir-  
ginis filij, redemptoris nostri IESV Christi. Cele-  
bramus sacratiſſimam festiuitatem, in qua redempto-  
ri suo laudes, & præconia per uniuersum orbem san-  
cta reddit Ecclesia. Celebramus noctem illam sacri  
partus consciām, nouis fulgoribus illustratā, & omni  
luce clariorem, de qua propheticè dixit scriptura, &

B canit

canit Ecclesia. Dùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus uenit. Itaque cùm ex prisco more, & longa uetus statis consuetudine pie, ac religiose hactenus obseruatum sit in hac illo lustrī Academia nostra, ut corā doctissimis uiris paucis pluribus de sancta, uenerandaq; huius sanctissimi die i leticia differeretur, uisum est maioribus, & scholē proceribus, ut hæc declamandi, differendiq; prouincia tibi loachime p̄e ceteris demandaretur, tūm quod sacrarum literarum sis studiosissimus, & quidquid reliquum est ætatis, totum id sacrosanctæ Theologiae studio consecraueris, tūm quod singulari dicendi facultate egregiè sis prædictus. Nam etiā msi pueri IE SV natiuitas tam in hoc loco, & templo augustissimo, quam alibi sæpiissimè magnis celebrata sit preconijs, & dignissimis elogijs decantata, tūm per optimos Ecclesiastas, tūm per doctissimos uiros, & excellentes oratores, & ea, quæ in ipsa contigerunt, omnia tantam præ se ferant generositatem, tantis turgeant mysterijs, ut nulla hominum lingua ijs explicandis par esse poscit, nulla humana eloquentia rei magnitudinem possit æquare dicendo, industriae tamen tuæ, & facundiæ, qua maximè præstas, nec rei ipsius immensitas, nec tot doctissimorum uirorum, atque clarissimorum oratorum, qui idem hoc argumentum copiosissimè, amplissimeq; ante te tractarunt, eloquentia omnem ademerunt dicendi copiam, nec ita te ad Harpocratem relegarunt, ut non plurima adhuc,

adhuc maximaçp in medio reliquerint, de quibus & tu, & pleriqç alij eleganter, & luculentissimè differere possitis. Ut enim magna est corporum, ità ingeniorum quoç dissimilitudo, atç uarietas. Non est par omnium eruditio, non diligentia, atç industria eadem, sed alius inuestigandi acumine, alius inueniendi solertia, alius explicandi facilitate, alius desnicç alia re præstat, atç excellit. Quod sit, ut unus sere quisç orator aliquid peculiare, & suum, idç non contemnendum ex suo isto eruditionis pennu depromat, atç in medium adferat, neç facile duo aliqui inter se ità modis omnibus consentiant, ut carere alterutro uelis, unde fit etiàm, ut cum plures eandem tractent, & explicitent materiam, eundem tamen finem non spectent, aut scopum sibi proponant. Quare etsi maximi, excellentisç eruditionis uiri de stupenda pueri IESV natuitate saepissimè hoc in loco, & docte, & copiose ante te dixerunt, adeò tamen immensa est, & ineffabilis, adeò omnem carnis cogitationem, & rationem exuperat, & angelis & hominibus incompræhensibilis est filij Dei incarnatio, ut nullis unquam sculis satis dignè uel euehi laudibus, uel tractari uerbis possit, & semper relictum sit posterioribus, quod priores aut parcus attigerunt, aut intactum omnino reliquerunt. Nec est etiàm, quod laborem istum tuum inutilem, & superuacaneum putas, aut Momi, quorum iam plena sunt omnia, quiç uel rectissimè dicta, factaç

calumniari non uerentur, odiosa Crambes recoctæ  
adpellatione, tanquam ignominia quadam notent.  
Non est hæc Crambe, aut, ut sit, certè ita recocta non  
est, quin gratissima sit palato etiā fastidiosissimo,  
delicatissimōq;. Etenim si cibum eundem aliter, atq;  
aliter coctum à conuiuatoribus etiā lautissimis, des-  
licatiſſimisq; apponi ſepius citra repræhensionem  
uidemus, quod illa condimentorum uarietas, & co-  
quendi industria non fastidium tantum leuat, ſed &  
laudem mereri quandam uidetur, qui tandem fieri  
poſſet, ut de materia eadem modò hac, modò illa uero-  
borum, ſententiarumq; accessione, ac uarietate quaſi  
conditadifferens beneuolum offenderet, aut tædio  
afficeret auditorem. Quare loco Crambes ſepius re-  
petitæ illud Platonis non immerito obtrectatoribus  
objicere poſſumus. Ter & quater, qđ est pulchrum.  
Quod enim per ſe præclarum, id uel decies repetitum  
(ut inquit Horatius) placere ſolet. Porro, iam quod  
ad orationem tuam ſpectat, principio ea sermonis  
perſpicuitate ineffabilis illius natiuitatis historiam re-  
texiſti, ac deinceps quid ex ea nobis diuinitus nobis ſit do-  
natum, ea uerborum copia, & ſententiarum grauitas  
te explicasti, ut auditores omnes, quotquot aderant,  
in ſummam raperentur admirationem, & præclaras  
ingenij tui dotes, maximamq; illā dicendi energiam  
plenis (quod aiunt) buccis admodum commendar-  
ent. Et ego profecto (longè abſit omnis adulandi  
ſuspicio) quid potiſſimum in hac tua oratione lau-  
dem,

dem, uix dicere queo. Nam si dictionis castitatem,  
elegantiamq; specto, eam reperio, quæ cum Cicero  
niana aliquo modo conferri possit. Si rerum gesta  
rum historiam requiro, non inferior mihi Salustio  
historico illo satis laudato uidēris. Si sacrarum pro-  
funda literarum mysteria peruestigo, ea uideo abs te  
tractari arcana, & stupendæ huius natiuitatis sacratissi-  
ma cōsilia, quæ uix à summis illis, & maximis Theo-  
logis satis pro rei ipsius dignitate tractari queant, &  
explicari. Quid uero dicam de doctrinæ puritate: quæ  
ab omni haerese<sup>s</sup> suspicione quām remotissimè ab-  
est, adeò ut tota oratio tua nihil habeat omnino, nisi  
quod pium sit, sincerum, apertum, perspicuum, nullis  
uerborum inuolucris tectum, ac per omnia deniq;  
Catholicæ ueritati consentaneum, quicquid tandem  
osores, inuidiae magis stimulis, quām ueritatis studio  
acti obstrepant. Verum enim uero cum hæc omnia in  
te maximi sint facienda, & summam mereantur lau-  
dem, & ob hoc orationem tuam mirum in modum illus-  
trem, non minus tamen iucunda fuit, & grata mira-  
bilis illa uocis tuæ, pronunciationisq; uis, & energia,  
quæ profecto ita adfecit, ita permouit omnes, ac eius-  
modi reliquit in animis auditorum aculeos, ut uerè  
Periclis illius facundissimi oratoris suadelā, & melle  
dulciorem leporem in labijs tuis sessitare crediderim.  
Tantum scilicet momenti habet apta pronunciatio,  
& conueniens corporis motus. Huic Demosthenes  
primas dedisse partes dicitur, cùm rogaretur, quid in

dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias. Hic interrogatus (ait Quintilianus) quid esset in toto dicendi opere sumnum, pronunciatio ni palmam dedit, idque haud immerito. Cuncta enim totius eloquentiae ornamenta in pronunciatione esse reposita testantur omnes, qui de hac arte scripsierunt, tam Græci, quam Latini. Quid enim occultae, & commoda inuentiones: quid concinnæ uerborum elocutiones: quid partium caussæ, & artificiosæ dispositiones: quid denique diligens memoria sine pronunciatione ualerent? Actio in dicens una dominatur, sine qua summus orator in oratorum numero esse nullo modo potest, mediocris uero hac una instructus summos sæpe superare potest: id quod multis tam Græcorum, quam Latinorum exemplis demonstrari, ac perspicuum fieri posset. Sed sufficiat nobis in præsentia unicus ille Alcines Atheniensium orator clarissimus. Hic cum relictis Athenis Rhodi exulauit, & ibi ciuitatis illius rogatu suam prius in Ctesiphontem, deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissima, & suauissima uoce recitasset, admirantibus cunctis utriuscunque columninis eloquentiam, sed aliquantò magis Demosthenis, quid si (inquit) ipsum audissetis, uel (quemadmodum D. Hieronymus noster refert) quid si ipsam bestiam uerba suaresonantem audiuissetis? Haud secus iam mihi de tua Ioachime oratione dicere licet, aut iudicare, quæ cum abs te suauissima, clarissimaque uoce, & decenti

& decenti corporis gestu recitaretur, tantum pro-  
fecto adfecit, tantumq; me commouit, ut etiamnum  
uox illa tua dulcis sonet in auribus meis. Hoc bre-  
uiter meum est de hac tua declamatione iudicium,  
cui si quid tribuendum censes, par quoq; fuerit, ut  
consilium meum de eadem edenda non spernas.  
Efficies haud dubie, si orationem istam tuam, quæ  
non minus pia est, quam docta, & omnibus Rhetor-  
um flosculis exornata, typis excudendam curaueris,  
ac in publicum prouolare, ut omnes singularem tu-  
um in optimas quasq; disciplinas amorem, compris-  
mis uero in sacrosanctæ Theologiae studio progres-  
sum non mediocrem clariss. perspiciant. Nec dees-  
runt Typographi, & quidem elegantissimis typis in-  
structi, inter quos excellunt ornatissimi, & humanissi-  
mi uiri DD. Alexander, & Samuel Vreyssenhorij  
fratres germani, librarij nostri, qui haudquaquam (ut  
reor) suam tibi operam in hac re multis profutura deo-  
negabunt. Necq; uero hominum iudicia tibi erunt  
pertimescenda. Nā cūm oratio sit elegans, pia etiām,  
& Catholica, hisq; calamitosis temporibus adprimē  
utilis, nemo, doctus presertim, & bonus quicquam in  
ea Theonino dente arrodere audebit. Et ut Zoili  
quidam, qui uel in Veneris cingulo inueniunt quod  
repræhendant, genuino (quod aiunt) mordeant,  
magis tamen considerandum est, quod non minus  
uerē, quam præclarè à quodam dictum est,

Cūm recte uiuas, ne cures uerba malorum.

Arbitrij nostri non est, quid quisq; loquatur.

Eti

Etsi enim prima hæc ingenij tui foetura est, eiusmodi  
tamen reuera est, quæ plurimam meretur laudem,  
ad eð, ut in magnam erigamus spem longè fore ma-  
turiores foetus, absolutioresq; quos suo tempore no-  
bis, imò potius Ecclesiæ Christi in lucem, Deo Opti-  
mo Maximo uires, simul & uitam subministrante,  
cum ingenti nominis tui gloria es editurus. Itaq; ma-  
ste uirtute, pergas, moneo, & sacratoria illa studia tua  
bonis auibus coepta prosequere, continua, ut ijs tan-  
dem absolutis, & feliciter ad optatum finem perdu-  
ctis merita laborum tuorum præmia consequare, ea  
inquam, quæ nullis unquam seculis sint interitura.  
Recte ualebis doctissime Ioachime, & hanc meam  
qualemcumq; opellam, paternæ admonitionis ergo à  
candido & sincero animo profectam boni, æquiq;  
facias, postremo etiam DEVM Opt: Max: precor,  
ut huius ineuntis anni auspicio felicissime  
fruare. Ingolstadij Nonis Ianuarij,  
Anni a Christi Seruatoris no-  
stri natalibus 1565.

AD

ni muscipulat nos omnisque ob eius  
illoz in eis videlicet probantur. non sibi omnes illas  
douo multazim olim nobis in Vnibus tunc ait apud  
propositum. Finis boup. Noniusq; ambozq; aut  
autem non boup. Ita mobus subtilioz nesciuntur  
autem. Ita multazim boup. Ita hincq; interponit  
autem in dicoz coram omnibus. Noniusq;  
autem pol pliup hiup. Ita non vellon. Verid. N.

B.H.

ORAT<sup>I</sup>O  
DE NATIVIT<sup>A</sup>  
TE CHRISTI SERVATORIS  
nostr*i*, habita Ingolstadij in celebri, & fre-  
quenti Academ*iae* conuentu, à M.  
Ioachimo Rodolpho.



ETVS, ET LAV-  
dabilis cōsuetudo huc-  
usq; obtinuit, Magni-  
fice D. Rector, Illustres  
Comites, Generosi Ba-  
rones, Reuerendi, Cla-  
rissimi, atq; ornatissimi viri, auditores  
humanissimi, vetus, inquam, hucusq; con-  
suetudo obtinuit, vt in celebrioribus anni  
festis, quibus Ecclesia memorabilium re-  
rum memoriam nobis ob oculos ponit,  
declamatiunculæ quædam, & paræneses à  
C bonarum

bonarum artium, vel sacrarum literarum  
studiosis, cùm exercitij, tūm honoris ergo  
ex hoc loco habeantur, id quod Illustriss.  
ac Potentissimus Princeps, & Dominus  
Dñs Albertus, Comes Palatinus Rheni,  
vtriusq; Bauarię Dux etc. maturo consilio  
perpendens, & Musis (quas in hac celeber-  
rima Ingolstadien. Academia liberaliss. ac  
clementer fouet) optimè consultū cupiens  
in noua huius inclytæ vniuersitatis statu-  
torum reformatione sancti curauit, &  
obseruari iussit. Cùm itaq; inclytū Theo-  
logorum collegium pro ratione huius  
celeberrimi festi id oneris mihi licet indi-  
gno imposuerit, meq; aliquantulum in-  
genioli mei vires tentare iussiterit, iniquis-  
simū fore iudicauit, si seniorum meo-  
rum iussui, præsertim hac in re refraga-  
rer, cùm etiā religiosa huius diei deuo-  
tio (quam quemlibet syncerum & pium  
Christianum adferre decet) plurimum  
hortari,

hortari, ac submonere videatur. Sed DE-  
VS bone, q̄ difficilem, arduam, planeq;  
viribus meis maiorem, & quasi stupen-  
dam suscepi prouinciam, quam latus di-  
cendi campus se aperit, quot mysteria,  
quot miracula, quot sacramenta sese no-  
bis offerunt: laboriosissima est hæc mihi  
præsertim homini parùm exercitato, &  
in tantis sacrarum literarum studijs vul-  
gariter instituto ipsius argumenti deli-  
beratio. Non enim ambigere debeo,  
quin hic sacer locus, hoc sacratissimum  
festum, hic conuentus omnium laudatissi-  
mus, & celeberrimus orationem re-  
quirant non puerilem, inanem, aut mo-  
lestam, sed elegantem, iucundam, elabo-  
ratam. Vt cunq; tamen res se habeat, mi-  
hi benè functus officio meo videbor,  
si meæ obedientiæ studium declarem,  
. quando iussus hanc subire cogor prouin-  
ciam, quamvis indignus, & inexercitatus,

C ij si hodie

si hodie omnes cogitationes meas, in rebus tantum diuinis, ijsdemq; quô ad eius fieri poterit, occultissimis hahuero. Intermittam igitur studiose aliarum rerum sollicitudinem, & exquisitissimorum verborum curam, ut animi cogitationes tantum ad Christum hoc tempore editum, vel ad virginem puerperam illam, matremq; integerrimam redeant. Vos interim spero libentiū audituros oratiunculam meam, atq; hanc operam vobis non ingratam futuram, cum in ea permaneatis sententia, ut nos existimetis non in iis solùm, quæ ad corpus haec, vitamq; hanc caducam pertinent, conquirendis, verùm etiàm in sacratis nativitatis Christi contemplatione tempus & curam ponere debere. Quod certè Academicus nunq; fecit Plato, neq; Athenieñ. Demosthenes, neq; Cicero licet copiosissimus orator, neq; incredibilis, vel diuinæ potius eloquentiæ

Theo-

Theophrastus, nec deniq; ullus quantum-  
uis clarissimus pace belloq; præsttit. Pro-  
inde nō grauiissimi Platonis Gorgiā nar-  
raturus sum, non Goliæ gigantis necem,  
non pertinacissimi calamitatem Pharāo-  
nis, non varios magni Herculis labores,  
non fortissimi Themistoclis pugnas, non  
diurna truculenti Hannibalis bella, non  
magna Caij Cæsaris, atq; Pompeij prælia,  
palmas & triumphos, sed de desiderati  
Saluatoris, de promissi, & nūnc exhibiti  
Messiæ nostri nativitate, & incarnatione:  
cuius vtilitas, non humana potest indagari  
ratione, nedum lingua vt cunq; propheti-  
ca, vel angelica quoq; enarrari. Placet igitur  
citra longiorem verborum circuitio-  
nem proprius accedere, ac rem ipsam ag-  
gredi, præsertim cùm vos ad audiendum  
videam promptissimos. Pax igitur (vt inde exordiar) per vniuersum terrarum or-  
bem erat diffusa: Cæsarq; Octauianus, co-

C iij gnomento

gnomento Augustus decretum dederat,  
vt omnes in toto mundo homines sua da-  
rent nomina in tabulis describenda, vt sci-  
licet ciues se esse profiterentur, vnuſquisq;  
in sua ciuitate. Nosse enim desiderabat,  
quot prouincias, quot ciuitates, quotq;  
homines mundus vndiq; contineret. Qua-  
re revolut tantus imperator, ut ad oppidum  
quisq; (vnde videlicet originem traxerat)  
ſeſe conferret, ibiq; denarium argenteum  
præſidi prouinciae traditurus, ſe prorsus  
Romano imperio subiectum eſſe proſi-  
teretur. Intelligitis auditores Octauia-  
num Cæſarem fuifſe non immerito co-  
gnominatum Augustum, velutq; augu-  
rio consecratum patriæ patrem. Omni-  
bus etenim imperauit totius ferè mundi  
nationibus. Intelligitis etiām quæ fuerint  
tempora, ea nempe quibus pace popu-  
lus vndiq; perfruebatur. Cūm enim po-  
pulus Romanus ſua potentia, & fortissi-  
morum

morum consulum, præsertim tandem  
Cneij Pompeij, Iulij Cælaris auspicio, ac  
authoritate victrices Aquilas etiām in  
remotissimis tām Orientis quām Occi-  
dentis regionibus collocasset, iamq; vi-  
rili robore florens ipsum quoq; popu-  
lum Iudaicum à Deo electūm, spoliato  
templo, tetrachis, præsidibus, colonijs eō  
deductis subiugasset, tandem rebus glo-  
riosissimè peractis, paceq; toti orbi redi-  
cta Octauianus Augustus perpetuus di-  
ctator publico patrum, & populi Roma-  
ni consensu proclamatus Iani bifrontis  
templum longo tempore iām apertum  
Romæ gentilicio more reclusit. Hæc  
autem non casu, Epicureorum more,  
sed singulari, & arcano DEI consilio  
euenisse negari nec debet, nec potest. Nām  
prout nos sacræ literæ, & prophetica te-  
stimonia docent, quatuor tantum Monar-  
chias durante mundo futuras prædictum  
est,

est, quarum quarta hæc, & vltima subactis  
Græcis ad Romanos eo tempore transla-  
ta est. Sanè syderum influxus, & valdè mi-  
rifica, ac singularis cœlestium corporum  
dispositio, & motus in trigono Zodiaci  
aqueo hanc insignem mutationem, inusi-  
tatemq; nouitatem evidentem portendis-  
se, ac designasse astronomica supputatio-  
ne demonstrari potest. Ut taceam de pro-  
phetia Iacob Patriarche dicentis, Non au-  
feretur sceptrum de Iudà & dux defemore  
eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse  
erit expectatio gentium. Quod quidem  
non exiguū ad pertinaces Iudæorum cer-  
uices infringendas argumentū puto. Sub  
hac igitur Monarchia rebus tandem com-  
positis Messias ille noster pacis author &  
conseruator nasci voluit, ut vel ob id Ro-  
manum imperium nō immerito Sacrum  
appellari soleat. Quid verò pacis nomine,  
aut dulcius aut amabilius dici potest? Si  
longius

longius aliquantulum digredi liceret, hor-  
tarer profectò vos, vt animos vestros ad  
maris, ad aëris, vel ad aliarum rerum tran-  
quillitatem dirigeretis, vt deniq; pacis ex-  
cellentiissimam esse conditionem depræ-  
henderetis: sed rem ipsam potius prose-  
quor. Cùm igitur Iosèph Mariæ virginis  
integerimæ coniunx intellexisset Ro-  
mani imperatoris promulgatam legem,  
libenter ipse, vt decuit, ad oppidulū, quod  
Bethlehèm nominarūt, sese contulit: per-  
pendit vir sanctissimus haud dubiè hoc ad-  
uentasse tempus, quo erat vxor eius pari-  
tura: noluit igitur coniugem suam, imò  
DEI ipsius mirificū thesaurum cuiquam  
committere, sed eam ipse potius attentissi-  
ma cura, eximio studio, suaq; singulari  
opera custodire. Eò igitur duxit eam se-  
cùm, quò se properanter conferebat, neq;  
solus iuit, sed comites habuit adiunctos ad-  
modum festiuos, bouem videlicet, & as-  
enib

D num,

num. En famulos. En pedisse quas. Cœli  
imperatrix, angelorū domina, cœlitum  
regina, virgo perpetua, casta, inuiolata,  
virgo (inquam) filiū DEI in vtero san-  
ctissimo gestans, vestitu ornata pudico, sed  
non admodum precioso, pedes incedebat,  
ō mysterium tremendum, ō imitandum  
nobis paupertatis exemplum, comitatur  
ætate florentem coniugem maritus senio  
confectus, comitatur in sacratissimæ vir-  
ginis vtero cœlitum, hominumq; princi-  
pem, in oppidū Béthlehèm veniunt, edesq;  
multas circum eunt, diuersoriū quiescendi  
causa querunt, & quod dictu mirabile est,  
adeoq; miserandum, nullum prorsus sibi  
cōparare queunt. Omnia enim diuersoria  
iamdudū occupata erant: tanta illuc mor-  
talium confluxerat multitudo. Ambo igi-  
tur in humilimum quoddam diuerticu-  
lum sele conferunt, & in tantam loci vili-  
tatem, ut in maxima hominum multitu-  
dine

dine reperiri potuerit nemo, qui hospiti-  
bus tām sanctis vulgare tantūm, & perexi-  
guum præstitisset obsequium. Discant hic  
ætatis nostræ mulieres maiore cura, vigi-  
lia, & laboribus viuere : discant, vt hoc  
quoq; pacto sibi, maritis, liberisq; suis an-  
xiè & sollicitè inseruant : Discant (in-  
quam) superbiam omnem exuere, & hoc  
exemplum virtutis in hac tanta virgine,  
& matre propositum iudicent. esse singu-  
lare & diuinum. Sed transeamus ad cetera.  
Sacræ historiæ perhibent media nocte ex  
castissimæ virginis Mariæ vtero Chri-  
stum saluatorem esse natum, quem ipsa  
mensibus nouem antea gestauerat. Defle-  
ctens autem sese puerpera iam natum  
mundi saluatorem puerulum accepit, eun-  
demq; sine dubio amplexa est suauiter, in-  
voluit pannis, & in præsepium fœnumq;,   
quod ad manū tunc habere potuit, locauit,  
os summa admiratione dignā natuitatem.

D ij Hic

Hic enim virgo sine omni dolore peperit eum, qui verissimus homo est, imò qui alios homines pulchritudine antecellit, qui omnium exoptatissimus perhibetur, qui quoq; D E V S potentissimus, D E V S sapientissimus creditur, qui ex nihilo condidit omnia cœlestia, terrestria, & quæ sub his continentur. Admirantur quæso hic diuites, & valdè admirantur, qui cùm optimè cognoscant exacte q; videant, quomodo I E S V S Christus summi DEI filius sese abiecerit, cogitant tamen, & prospiciunt, vt eorum liberi à multis plurimi semper fiant. Hinc in eiusmodi nascuntur cubiculis, quæ tanta sunt rerum copia exornata & decorata, vt propemodum Deus ille noster ex altissimo summi DEI cumine eò descendisse videri possit. Mox tenerrimis inuoluuntur linteolis, egregijs custodiuntur pellibus, quasi non ex abstissima, quæ in toto hominis corpore est, materia,

materia, adeoq; in ipsissimis peccatis pro-  
geniti essent. Deniq; ob eorum natales in-  
gens oritur gaudium, quasi nunquam sint  
morituri, vel potius ipsam iam immorta-  
litatem adepti. Sed nunc mihi in mentem  
Thracum mos vetus venit, qui dubio pro-  
cul istis sunt anteponendi: hi enim simul  
atq; rescuerunt sibi natos puerulos, eo-  
rum natales deflerunt, quod existimarent  
ipos ad summam calamitatem deuenisse.  
Exemplum hinc petat diuites præsertim,  
ut vel me tacentem negocium hoc perpen-  
dant exactius, vel saltem magis pie. In hi-  
storia enarranda pergo. Cum igitur puer  
ille in præsepio iam recubaret omnipo-  
tenti Deo, patriq; cœlesti gratias egit  
haud dubiè immortales humilis puerpe-  
ra. Senex verò Iosephus caput detexit, de-  
flexit genua, manus tetendit, quoniā hunc  
& maximum, & optimum DEVM esse  
in signi quadam constantia credidit. Acces-

D iij sere

serebos, & asinus, puellum hunc in maxi-  
mo honore habentes, genua enim (vt ex  
Prophetis intelligitur) curuârunt, labra  
admouerût, naribusq; vt frigentem, plo-  
rantemq; paruulum calefacerent, efflaue-  
runt: bruta quidem fuere animalia, sed ta-  
men digna, quæ literis, monumentisq;  
commendentur nunquam interituris. Sed  
iâm memini olim me audire in hoc stabu-  
lo fuisse glorioissimam quandam ange-  
lorum copiam, seu exercitum, qui Chri-  
stum paruulum in profunda nocte adora-  
tione digna, vel debita potius prosequi-  
retur. At verò pastores erant non pro-  
cul ab oppido Bethlehemo, qui eadem  
nocte Christo videlicet nascente, vt gre-  
gem fideliter obseruarent suum, vigila-  
bant. Sed quid accidit? Angelus adiit eos  
fulgore nitidus, admonuitq; eosdem, ne  
extimescerent: In hæc etiâm verba læta-  
bundus prorupit: Annuncio vobis gau-  
dium

dium magnum, quod erit omni populo,  
quia natus est vobis hodiè saluator, qui  
est Christus dominus in ciuitate David.  
Postquam verò pastoribus signum dedit  
Angelus, eos videlicet infantem pannis  
inuolutum, positumq; in præsepio inuen-  
tuos, eccè alia subito præstò fuit ange-  
lorum cohors, quæ D E V M modò na-  
tum collaudaret, hocq; pacto caneret,  
Gloria in altissimis D E O, & in ter-  
ra pax hominibus bonæ voluntatis.  
Eccè iterum sanctissimi Angeli, sanctis-  
sima cœli curia gaudet, & singulariter  
gaudet, adeoq; Patri gratias agit im-  
mortales. O magnum hîc, & inef-  
fabile mysterium. Pastores verò cùm  
audiuissent Christi nativitatem, conti-  
nuò Bethlehèm iter facere exoptârunt.  
Properârunt igitur valdè : ingens enim  
eos tenebat videndi Christi desiderium;  
tandem

tandem (vt & nos ad alia festinemus) di-  
uerticulum quoddam subiuerunt, in eoq;  
puerulum inuenerūt, Mariam, eiusq; con-  
iugēm. Sed quanq; loci vilitatem, panni-  
culorum humilitatē, fœniq; paucitatem,  
& extremam paupertatē adesse videbant:  
eiusmodi tamen viros præstiterunt se, vt  
tunc natum Christum, DEVM esse cre-  
derent, eundemq; singulari honore affice-  
rent. Maria interim, quæ à pastoribus di-  
cebantur, fidissimo pectore thesauri in-  
star, custodiebat. Difficile dictu est, quan-  
tam cœperit voluptatem ex fide, amore,  
deuotione hominum, licet agrestium, bo-  
norum tamen, & firmiter credentium.  
Quis verò pastores illos non fortunatos,  
non beatos iudicet? Sed liceat nobis in  
commendationem horum pastorum, au-  
ditores optimi, parū digredi. Primò non  
dubito, quin in promptu habuerint ea, quæ  
aliâs hominibus ad prorogandam vitam  
expediunt,

expediunt, tametsi verò parùm adepti  
erant, sufficiebat tamē illis quod haberent.  
**Q**uis igitur eos diuites fuisse non existi-  
met? Te enim, licet Midam diuitijs supe-  
rares, vel regnorū multitudine Alexan-  
drum Magnum, animus tamen tuus non  
expleretur, pauperem esse arbitrarer: è  
contrario verò diuitem, si animus esset  
modicis rebus saturatus. Vix erunt præte-  
rea boni pastores tempore pacis, quietis,  
& summæ tranquillitatis, milites non me-  
tuebant aliâs truculentissimos, neq; fo-  
rum, quod plerumq; strepitu, rixis, & cla-  
moribus refertissimum est. De bona cor-  
poris valetudine non est quod dicam, ne  
hoc quod præcipuum est, pretermittatur:  
eos videlicet à D E O sic eruditos fuisse,  
sicq; illuminatos, vt nemo facilè ambigere  
debeat, quin fide eximia, quin charitate  
summa, quin spe virtutum omnium præ-  
stantissima, & optima floruerint. Quid

E igitur

igitur admirabilius esse potest, quam eos  
qui vitam semper egerunt à politioribus  
literis, & à doctis hominibus remotissi-  
mam, hunc puerum recens natum, frigen-  
tem, trementem, & plorantem, inq; sta-  
bulo tamen fætido recumbentem **D E V M**  
esse, totiusq; mundi redemptorem, salua-  
toremq; sineulla hæsitatione constanter  
credere. & illum ipsum eo honore, qui soli  
DEO tribuendus est, libera voluntate pro-  
sequi: spem quoq; omnem futuræ salutis  
in illo ponere. ô cœlites, quantum spe-  
ctaculum, quanta delectatio, quanta læti-  
tia, quanta pastorum fœlicitas? Et hæc  
quidem breuissimis de glorioſissima Chri-  
ſti ſeruatoris nativitate historicè recenſe-  
re volui, non quod cuiquam hæc ignora-  
putem, ſed ut magis perpendenda in me-  
moriā reuocarem. Porro cum omnia  
quæ ſcripta ſunt in noſtrā doctrinā  
scripta

scripta sint, nec nudam fidem historiæ ad-  
hibere sufficiat, ut igitur gratitudinis &  
memoriæ ergo causas huius saluberrimæ  
natiuitatis inquiramus, eiusq; vsum, ac ef-  
fectum nobis applicemus, paucis in eo  
quod supereft, me expediam. Celebrat  
igitur hodiè sanctissima mater Ecclesia  
Catholica non sine debita solennitate, &  
deuotione hunc diem, & hunc natalem,  
quo Christus Saluator noster assumpta  
carne ex Maria virgine natus in Bethle-  
hem oppido (vt audistis) in lucem pro-  
dijt. Subsistamus hīc quæso auditores, &  
paulò altius eius rei mysteria contem-  
plemur. Nàm si non temerè à vete-  
ribus traditum est, omnia quædam in-  
esse nominibus, apparet sanè hīc, non  
sine singulari D E I consilio, hoc no-  
men huic oppidulo fuisse impositum,  
vt & Messiae nomen infantulo nato.  
Bethlehēm siquidēm Hæbreorum lingua

E ij domum

domum & receptaculum panis significat,  
& verè sanè, cùm verus ille panis, qui de  
cœlo descendit, ibi nasci, licet in summa  
paupertate, voluerit, exemplum eo pacto  
proponens Catholicę Ecclesiæ sponsę suæ,  
quæ & nunc, & quò ad hic mundus dura-  
bit, quantumuis abiecta, & quassata appa-  
reat, veruntamen illum panem souebit,  
eoq; semper sustentabitur, vt verissimè  
spiritus sanctus per os Prophetæ dixisse  
videatur, Et tu Bethlehèm terra Iudà,  
nequaquam minima es in principibus Iu-  
dà, ex te enim exiet dux, qui regat popu-  
lum meū Israël. In hoc igitur oppido Mes-  
sias ille noster, id est, inunctus regalis salua-  
tor nasci voluit, Messias inq; ille summi  
tonantis filius, consubstantialis patri, vt in  
symbolo Nicæno canitur, qui fuerat an-  
tequam mater, imò totus hic orbis condi-  
tus esset, hic inquā humanas miserias subi-  
re, è virgine, dictu mirabile, nasci voluit,  
    & sic,

& sic, prout hymnus sonat, Quem terra,  
pontus, æthera colūt, adorant, prædicant,  
trinam regentem machinam claustrum  
Mariæ baiulat etc. ô arcanum DEI con-  
silio, ô admiranda DEI mysteria, ver-  
bum illud ineffabile Patris, quo omnia sunt  
condita, quod reuelatū est Prophetis, caro  
fit, lumen illud æternum, illuminans om-  
nem hominem venientem in hunc mun-  
dum, terreno & mortali pulueri se im-  
mergit, diuina illa summitonantis proge-  
nies infinitæ potentiae, ac bonitatis è cœlo  
descendens incarnatur, & humani corpo-  
ris ossa induit. Et hæc quidem omnia, imò  
ipsam quoq; horrendissimam mortem fi-  
lius ille DEI subire voluit, non quasi quic-  
quam nostra egeret, sed ut nostri misere-  
retur, nosq; opus manuum suarum dæmo-  
nis faucibus eriperet. Cùm enim à lapsu  
primi nostri parentis Adami propter di-  
uini præcepti transgressionem tanta esset

E iij ira

ira DEI patris in peccata, vt nemo ho-  
minum, nec ipse quidem Adàm, quantum  
uis manu DEI formatus, iniò nec ange-  
li, nec vlla alia creatura eam placare pos-  
set, quin omnes homines æternæ damna-  
tioni subijcerentur, adeò vt multis seculis  
ipsi quoq; Prophetæ, & Patriarchæ, qui  
in DEI misericordia, & vera fiducia de-  
cesserant, in limbo clamarent, ô vtinam  
cœlos disrumperes, ac descenderes etc. tan-  
dem has erumnas, & humani generis stra-  
gem filius ille DEI, ac verus Emanuèl pro-  
sua in nos clementia respiciens, amore no-  
stri virginis vterum ingressus homo na-  
tus est, vt scilicet Patris sui iustum iram se-  
daret, & cōculcando caput serpentis æter-  
næ beatitudini nos restitueret. Cùm igitur  
haec sua natuitate verus θικέτης κορυφεσίτης noster  
sit factus, hoc pacto patri suo cœlesti nos  
reconciliārit, dæmonis faucibus eripuerit,  
Chirographum mortis deleuerit, cohæ-  
redes

redes regni sui, ac æternæ beatitudinis ex  
mera misericordia fecerit, cumq; eius li-  
uore sanati simus, ut per hūc audeamus di-  
cere Abba Pater, Quis sit queso tām saxe-  
us, tām rigidi pectoris, quis tām peruersæ  
ingratitudinis, vt tanta DEI in nos imme-  
ritos collata beneficia nō reuerenter agno-  
scat, prædicet, ac immortali gratitudine  
perpetuō reuoluat? En ipfa quoq; natura,  
ipsa coelis ydera annuo suo motu perpetuā  
horū beneficiorū, ac miraculorū memo-  
riā conseruare, ac quotannis nobis incul-  
care evidetur. Sol. n. luminare maximū, ha-  
ctenus à nobis in austrū longius remotus,  
iām sensim nos adire pergit, & vitali suo  
calore Borealia frigora téperās diei quoq;  
lōgiōres horas efficit. Eia igitur auditores  
humaniss. & nos Grates nūc oēs reddamus  
Dño DEO, q; sua nativitatē nos liberauit à  
diabolica potestate. Huic oportet, ut cana-  
mus cū angelis semper, gloria in excelsis.

Oro

Oro vōs auditōres, & obsecro, vt hanc na-  
tiuitatem altius in eum perpendatis, per  
eam enim iām iām Christum fratrem ha-  
bemus, qui studiosorū est sapientissimus,  
& sapientum studiosissimus, illum qui an-  
gelis cœlum, hominibusq; terram inhabi-  
tandam tradidit, illum qui ex virgine vo-  
luit mira bonitate propter nos nasci, illum  
qui effecit, vt cum D E O cœlesti patre  
genus humanum miserè collapsum in gra-  
tiam rediret, illū qui nobis, vt vitia quæq;  
fugiamus, virtutes verò amplectamur,  
opitulatur: illum (inquam) qui famulos  
suos ad illud cœleste concilium, beatissi-  
mumq; cœtum euehit. Quis quæso, iām  
esse potest (modò eum summa non cepe-  
rit dementia) quē gaudio non afficiat tan-  
ti natalis recordatio: quem ad honorem  
Christo exhibendum amor non rapiat:  
quem summum, & singulare beneficium  
eius ad gratiarum actionem non incitet:

Vtinam omnes ineuntis anni (quem vo-  
bis faustum ac foelicem ex opto) decursum,  
adeoq; totius vitæ nostræ curriculum sic  
transigeremus, vt admirabilem redem-  
ptoris nostri natalē celebraremus, & ve-  
neraremur memoria gratissima. Vtinam  
cogitaremus Christū in hac infantuli spe-  
cie dulcissimum, & efficacissimum esse, ac  
rogaremus eum assiduis ac continuis pre-  
cibus nostris, quò afflictam suam Ecclesi-  
am Catholicam, sacrum Romanum Im-  
perium, et Rempub. Christianam pericli-  
tantem pro sua paterna bonitate conser-  
uet, & à tumultibus bellicis, clandestinis  
dissensionibus, simultatibus, odijs, & er-  
rorum tenebris clementer liberet, ut cùm  
extremi iudicij dies venerit, qua tota hæc  
mundi machina flammis est peritura, qua  
filius hic hominis vnicus I E S V S Chri-  
stus noster saluator non, vt nunc, humilis  
& abiectus, sed cum maiestate & gloria

F veniens,

veniens, iudicaturus viuos & mortuos, ac  
angelicæ tubæ clangore tam adhuc viuen-  
tes, quam ex hac lachrimarum valle, &  
miserijs dudum exemptos ad suum tribu-  
nal euocaturus, singulis pro suo merito,  
bonis quidem æterni DEI omnipoten-  
tis aspectum & gaudium, malis vero æter-  
nas poenas, ac damnationem tribuet, ut,  
inquam, tunc à dextra huius iam nati par-  
te statui, ac cum reliquo electorum coetu  
ad æternam beatitudinem peruenire pos-  
simus. Quod ut nobis contingat omni-  
bus precor beatissimæ Trinitatis  
munere, quæ benedicta  
est, & erit in se-  
cula.

DIXI.

AD

AD VIRTUTE,  
DOCTRINAQVE PRÆSTAN-  
tem virum M.Ioachimum Rodolphum,  
de eius oratione in solennitatem natalis  
Christi habita Anshelmi Stoe-  
ckelij nobilis Tyrolensis,  
pro Calendis Ianua-  
rijs Elegia.



*N*unc erat à nostra Phœbire-  
gione calentis,  
*A*d populi tractus orbis  
adducta nigri.  
*A*sper Hyperboreo uoluc-  
bat ab axe pruinas  
Sarmaticas *A*quilo, Sithoniasq; niues.  
*A*lbescebat humus concreta grandine, canus  
Rôre Caledonio nunc ager omnis erat.  
Canicies tristis pendebat ab arbore, dura  
*C*labilis sub glacie flumen habebat iter.  
Iam deērat gelidis Phœbæa potentia terris,  
Nec tēpidiuolitans aura caloris erat.

Nostra Borysthenium uexabat corpora frigus,  
Sed fouit fornax haec calefacta tamen.

Ad summam Phœbus concedit deniq; portam,  
Et retulit tempus frigidabruma breue,  
Excepit solis Nepheleia stella iugales,  
Ad nostros rutilos clima remisit equos.

Verbi genæ Christi genialia festa reuexit  
Et lucem sol, qua prodijt ille puer:

Qui patris accensam summi compescuitiram,  
Sustulit in poenam crimina nostra sibi.

Insonti lauit genus humanumq; cruento,  
Submersos Lethe duxit ad astra patres.

Inflicctum tristis sanauit uulnus Adami.  
Lapsu per diram uulnera facta necem.

Purpureo maculas deleuit sanguine nostras,  
Nos sibi præualida morte redemit ope.

Per quem sunt nobis patefacta palatia cœli,  
Qui retudit leti spicula dura trucis.

Qui phlegetontiaci spoliauit regna barathri,  
Eripuit domino sceptra timenda stygis.

Dispusit errorum tenebras, et sabbata uerpæ,  
Et noua sacra dedit, dogmata uera dedit.

Hic ut consimiles nostris assumpserit artus,  
Mutârit domini siderei q; statum:

Stelligeris lapsus laquearibus ut sit Olympi,  
Liquerit imperium, quod sine fine ualet:

Virginia

*Virginis integræ fœtus penetrârit in aluum,  
Legitima partus prodieritq; uia:  
Quam pauper fuerit, cunctos ditaret egenos,  
Quam bona multa suis reddideritq; malis:  
Id tuus explicuit sacrata nuper in æde  
Sermo magis uisu chare Rodolphe meo.  
Cui tua displicuit gestus, rogo, gratia pulchri?  
Res bene docta tibi, dictaq; uerba bene.  
Fabula Tbreicij uatis testudine motas  
Cautes, edomitas prodidit esse feras.  
Ad lachrymas riguas adamantina corda mouere  
Tu sermone potes, flectere dura potes.  
Si quis perpendit, quam sit puer horrida passus  
Hic, quis uel rigidus non lachrymare queat?  
Quis non exultet, qui fixè cogitat, ille  
Christicolis ortus commoda quanta tulit?  
Læticiam poterit tua sic oratio, luculum  
Reddere Slesiaci laus Ioachime situs.  
Hæc laudata uiris prudentibus edita lucē  
In multas ueniat rite legenda manus.  
Sed nunc in finem quia se deflexerit annus,  
A patre sit gemino ianua pansa noui:  
Eueniant tibi uota, precor, quæ pectore nutris,  
Testabili donet prosperitate D E V S.*

F 3 IN

IN DOCTISS. D.  
MAGISTRI IOACHIMI RO-  
dolphi Silesij orationem de Natali Chri-  
sti vnici seruatoris nostri, M. Si-  
monis Schuuartz Mo-

naceñ.



Orpore nobilior quanto mens  
esse putatur,  
Imāqz cœlesti deteriora globo  
Tanto nobilior, maioreqz di-  
gnus honore  
Censetur merito, qui sacra  
Scripta colit.

Mentēue peruolitans cœlum terrestria linquit,

Quiqz sue mentis que sit origo uidet.

Quām qui diuitias pergunt corradere multas,

Indulgent genio qui nimis atqz mero.

Fluxaqz qui tantum facilimeditantur auena

Figmenta, aut carni qualia multa placent.

Ergo tuum cunctis merito Ioachime probatur

V. Proposatum, uoluis quod sacra scripta modo.

Intentus

Intentus tantum rebus cœlestibus hæres,  
Qualiter & dentur regna beata poli.  
Hoc tua testatur nunc hic Oratio docta,  
Exornat mista quam grauitate nitor.  
Qua recitas castæ cur natus uirginis aluo,  
Factus homo fuerit filius ille Dei.  
Qua ratione simul nostrum possimus ad usum  
Commoda natalis tanta referre, doces.  
Hæc tanto tractas doctrinæ, tamq; profundo  
Pondere uerborum, cum grauitate, fide.  
Ut stupeat quisquis legat hanc, aut audiat illam,  
Acc doctis solcat ure placere uiris.  
Ferreus ille mibi, saxo quoq; durior omni  
Censemur, quem non hæc tua uerba mouent.  
Lector in hoc scripto, quæ nostræ summa salutis,  
Inueniet, nostri quid sit & officij.  
Gratulor ergo tue patriæ, Ioachime Rodolphe,  
Ingenij claræ nobilitate tui.  
Perge, nec incœpto desistas tramite lassus,  
Perge simul patriæ consuluisse tue.  
Sic Pylij fœlix uiuas in Nestoris annos,  
Per te quo crescat gloria summa Deo.  
Sentiat auxilium nutans Ecclesia mater,  
Te duce sit fœlix publica resq; diu.  
Perge tibi, generiq; tuo prodeſſe, Deoq;  
Auspicie succedant prospera cuncta, Vale.  
C. ij. fac. 2. uersu 14. hanc expungito.

texos.



5008  
q5:p:

